



C. 151.



16
VINDICIAE
ARBITRII DIVINI

I N
RELIGIONE CONSTITVENDA

EX AVCTORITATE VENER. THEOL. ORDINIS
P R O L I C E N T I A
SVMMORVM IN THEOLOGIA HONORVM
CONSEQVENDORVM

A. D. XXII. SEPT. A. C. MDCCCLVI

PROPOSITAE AC DEFENSAE

A

IO. AVGVSTO ERNESTI A. M.
ELOQVENTIAE PROF. ORD. SCHOLAE THOMANAE RECTORE
ET SOCIETATIS SCIENTIARVM GOTTING.
SODALE

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

VINDICIAE
ARBITRII DIVINI

IN
RELIGIONE CONSTITUENDA

EX AUCTORITATE VENER. THEOL. ORDINIS
PROFICITIA
SVMONORVM IN THEOLOGIA HONORVM
CONSERVANDORVM

A. D. MDCCCLXXXV
PROFICITIA AD DEFENSAM

IO. AVGVSTO ERNESTI A. M.
PROMOTAE PROE. ORD. SCHOLAE THOMAE RECTORIS
ET SOCIETATIS SCIENTIARVM GOTTING.
SODALIS

LIPSIAE
EX OFFICINA SANDERIANNA





PRAEFATIO



t non omnes corporis morbi per furorem, aut per vim atque impetum, praecipitant vitam humanam, sed quidam etiam est, ut *Plinius* appellat, *Sapientiae morbus*, non minus ille exitialis vitae hominum atque salutis: sic animorum perniciēs non modo a prauarum cupiditatum violentia, et ἀθεότητος atque εἰδωλολατρείας, quae ipsissima ἀθεότης est (Eph. II, 11.) furore venit, sed in nonnullis etiam ab ipsa sapientiae, quae felicitatis scientia esse debet, tranquillitate nascitur: quos verissime dicas cum *Plinio*, per sapientiam perire. In his vel maxime posuerim eos, qui de religione ita disputant, ut eam omnem omnino a naturae diuinæ humanaeque necessitate repetendam contendant, neque ulli rei locum in ea concedant, quae non necessariis rationis conclusionibus intelligatur, sitque cum perfectionibus diuinis et necessaria hominis natura necessario coniuncta. Etenim nullus alius facile error est, qui tanta veritatis specie commendet se humani ingenii vanitati, fallatque imprudentes sapientiae simulatione. Quantam enim probabilitatem habet, si quis hoc se dicat agere, ut nihil in religionem admittatur, quod non totum a perfectione diuina ducatur, sitque cum natura humana copulatum, dignum adeo maiestate Dei, dignum ratione hominis. Enimvero hi non modo per summam audaciam cir-

cum scribunt arbitrii diuini in religione hominibus constituenda libertatem, quod sine summa impietate fieri non potest, sed etiam repudiant eam, quae diuinitus oblata est, salutem, atque ita, dum sapientiae laudem quaerunt, perniciem inueniunt.

2. Atque ex eo numero sunt in primis duo capitales, vnus *Tindalius*, qui Euangelium, quod nos vocamus, cum origine rerum omnium adaequando sustulit: alter ille religionis necessariae (*essentialem* ipse vocat) praeco et propugnator, qui religionem ad naturae diuinae humanaeque necessitatem reuocando, et vnus principii angustiis coercendo, totum Christianismum e religione remouit: quorum noti omnibus sunt libri. Contra hos etsi multa sunt a multis scripta, nequiquam contemnenda illa: tamen nondum nobis videtur satis perpuratus ad liquidumque perductus in illa disputatione locus is, qui est de arbitrio diuino in religione hominibus praescribenda. Nam ille ipse, qui acutissime contra *Tindalium* disputasse existimatur, *Fosterus*, cuius etiam liber *Tindaliani* operis germanicae versionis, veluti antidoti loco, subiectus est, etsi attingit illam disputationem, tamen nullo modo accurate perfecteque tractat. Etenim ritus tantum amplectitur, dogmata prorsus relinquit, refertque omnia ad virtutem, nihil ad placationem Dei offensi atque fidem, satis habens ostendere, posse quaedam salubriter in religione constitui, quae virtutem commendent, ad eamque adducant, denique vitia coerceant: in quo erat rei summa, an in ratione salutis et felicitatis consequendae praescribenda aliquid liberum Deo esse possit et arbitrarium, liceatque Deo aliquid a naturali et necessaria religione diuersum constituere, id ne attingere quidem dignatur. Enimuero et loci illius vniuersi, et partis maxime huius tanta est in omni disputatione cum istis hominibus eorumque similibus vis, vt iis bene accurateque explicatis, omnis reliqua disputatio facilis sit atque expedita. Quam ob rem operae pretium nos sperauimus facturos, si eam quaestionem diligentius explicaremus. Quod si quis ante nos eo labore iam rite functus est, quem nos quidem non cognouerimus, licebit tamen et nobis, locum illum nostro modo edisserere.

3. Negant ergo ii, quos diximus, aliquae, esse consentaneum vel sapientiae diuinae vel iustitiae, vt aliquid additum credamus diuinitus iis religionis capitibus, quae ab ipsis perfectionibus diuinis humanaque natura necessario ducta intelligantur, aut praeter ea, quae ratio humana intelligere possit, esse colendi numinis diuini, aliquid ab hominibus ad beneuolentiam diuinam salutemque tenendam exigi. Nos contra dicimus, neque abhorre a perfectione diuina, aliquid esse in religione arbitrarium, neque negari posse, talia esse cum hominum salute sapienter a Deo constituta. Erit igitur nobis *tripartita* huius quaestionis *disputatio*. Nam *primo* demonstrabimus, posse a Deo aliquid hominibus, in quocunque statu, religionis nomine praescribi, quod non sit in se necessarium, sed liberum; atque ita Deo ius suum vindicabimus: *deinde*, Deum inde a rerum humanarum initio talia quaedam sanxisse, docebimus, eaque huiusmodi, vt non nisi iis seruandis expedita esset hominibus ratio salutis: *denique*, Deum eo arbitrio cum summa sapientia hominumque commodo usum esse, vincemus. *Potest Deus arbitrio libero in religione constituenda vri: vsus est omni tempore: sapienter denique et salutariter vsus est.* Haec tria cum demonstraerimus, causa erit perorata.

P A R S P R I M A

*Posse religionem in quocunque hominum statu
arbitraria quaedam habere.*

4. Religionis, de qua nobis disputatio instituta est, duplex omnino ratio videtur. Nam non modo ad Deum refertur, et quidem in primis, sed etiam ad homines. Deum quidem amplectitur cultu, qui sit eius maiestati, voluntati ac beneficiis consentaneus ac dignus: hominem autem, salute ac felicitate praestanda. Atque nos non sumus ii, qui negemus, Deum sanctissime ex ipsius praescripto colendum fore hominibus, si cultus eius nihil ad ipsorum felicitatem valeret. Etenim non tam, quia prodest, Deum rite coluisse, propterea colendus est, quam, quia iustum est,

coli Dominum et auctorem nostri, dignum deinde maiestate eius, denique quia ita de nobis est meritis. Sed quando felicitatis illa vehemens appetitio ab ipso Deo nobis est iusta, ea autem, ut etiam Cicero vidit (*Off. II, 3.*) nisi Deum placatum nobis atque benignum habeamus, teneri non potest; non modo concessu, sed etiam iussu diuino, religione seruanda salus quoque nostra felicitasque spectatur. In quo fas est, etiam admirari atque amare benignitatem et *Φιλανθρωπίαν* diuinam, quod, quae etiam sine utilitatis nostrae respectu praestanda erant, ea ita exigit, ut prope saepius ad nostram salutem referat, quam ad maiestatem atque ad ius suum. Unde fit, ut *quaestionis* propositae *duae partes* sint. Nam primo quaeri potest, *an in religione, quoad Dei maiestatem colit, aliquid arbitrarium esse possit ac voluntarium*, iusque sit Deo, libere sancire, quomodo et quibus rebus coli velit. Altera quaestio est, *an liberum sit Deo, praescribere hominibus, quibus rebus seruandis ad felicitatem debeant adspirare.*

5. Iam primum, si religio ad solum Dei cultum pertineret, humanam felicitatem non attingeret, aut si in colendo Deo maiestas modo eius spectaretur, nulla humanae indolis ac naturae ratio haberetur: non profecto dubitarem, quin ea *contenta esse posset* iis, quae ratio humana intelligere potest, officii, hoc est, naturalibus, necessariis, et cum naturae diuinae perfectione necessario coniunctis, veluti, pietate, totiusque vitae ad naturales leges conformatione. Id intelligi potest ex eo, quod religio talis futura est eorum, qui ad beatam illam immortalitatem peruenerint, auctore *Paullo*, *1 Cor. XIII, extr.* Neque tamen vel sic *abborreret*, naturalibus istis religionis officii quaedam addi a Deo, quibus seruandis ac retinendis coli se ac placari velit: *nec*, id si faceret, in eo *non iure suo uteretur*, cui si refragari audent homines, non rebelles ac *ἑσπιάχοι*, omnibus poenis coercendi, videntur.

6. Nam ut ab hoc incipiamus, quomodo contra ius videri potest, si Deus aliquid exigat ab hominibus, quod non sua sponte intelligant esse faciendum: aut quomodo non debent homines praestare, in quo se gratum facturos Deo videant: cum toti sint

et

et muneris beneficiique, et iuris ditionisque diuinæ, eiusque potestas in homines sit ea, qua maior cogitari intelligique non potest. Etenim omnis potestas legitima in alios, quæ quidem a natura ducatur, intelligitur ex harum causarum aliqua: si vitam debeas, velut parentibus: si te in potestatem quacunque de causa, siue alimenta petens, siue securitatem aliudue quid utilitatis spectans, dederis, vt principibus ciues, dominis serui: si denique ob iniuriam illatam in ditionem victoris veneris. In his autem longe iustissimam et cum natura humana coniunctissimam existimare conuenit eam, quæ a vita data et accepta arcessitur, quippe valituram etiam tum, si primi homines integritatem naturæ innocentiamque vitæ conseruatam ad posteros transmisissent. Enimvero, quæ comparatio est Dei atque parentum in vita tribuenda, eadem esse debet in potestate ab illo beneficio nata: vt, quanto plus Deo quam parentibus debeamus, tanto maior eius in nos potestas putetur, hoc est, tanta, quantam quisque in opus suum debet habere: qua maior, immo cui par aut inueniri vsquam, aut cogitari nulla potest. Quare, si parentibus, si principibus, si dominis denique ius est exigere a suis non modo ea, quæ proprie et necessario coniuncta sunt cum suo cuiusque genere potestatis, sed etiam alia, quibus pietatem et reuerentiam præstari sibi et declarari velint, nullo modo necessaria illa, sed arbitraria prorsus et libera: quomodo non idem iuris concedendum Deo putemus, cuius longe maiorem in homines esse potestatem fatemur, aut quomodo ille non possit, quibus rebus necessariam illam pietatem sibi præstari velit, præscribere?

7. Sed non veremur, ne difficilem in hoc concedendo quemquam habituri simus, vel ex iis ipsis, contra quos nobis est hæc disputatio instituta. *Illud* autem negant concedi posse, vt consentaneum putetur perfectioni diuinæ, et non potius abhorrens ab eius sapientia, præter necessaria et naturalia officia arbitrarium quid sanciri: quippe totum illud arbitrarium in pietate præstanda et religione cogitari non posse, quin imbecillitatis humanæ veniat in mentem, cuius labes omnis a perfectionis diuinæ cogitatione

tione debeat feiungi. In quo eos vehementer falli, paucis demon-
 strabimus. Iam primum, quis hoc non intelligit cogitando, aut
 didicit experiendo, vti vires mentis nostrae acui, sic virtutes ani-
 mi omnes, in quibus princeps est omnibus de causis pietas in
 Deum, conseruari, ali, augerique exercendo. Itaque quo crebrior
 exercitatio fuerit pietatis, hoc magis ea corroborabitur: quo ra-
 rior et remissior, hoc plus languoris trahet, hoc facilius obscura-
 bitur sensus eius, atque adeo extinguetur. Quid ergo facere dice-
 mus Deum, cum necessariis officiis adiungit arbitraria? nihil pro-
 fecto aliud, nisi vt largiorem exercendae pietatis materiem prae-
 beat, vt ampliorem aperiat campum, in quo pietas possit decur-
 rere, vt acuat eam, augendoque reddat maiestate et beneficiis
 suis digniorem? Etenim quoties Deo credere iubemur, quoties
 in quacunq; re parere, toties latens in animo pietas excitatur, et
 ad vim suam exferendam prouocatur: quoties quacunq; in re ei
 credimus, toties ei suam veritatem sapientiamque reddimus: quo-
 tities quod iussit facimus, obedientiam ei praestamus, quae etiam in
 legibus naturalibus, et officiis a conuenientia et natura rerum du-
 ctis, religionem continet: nec religio est facere, quae naturae re-
 rum sunt consentanea, sed quae Deus vult a nobis fieri, et qui-
 dem quoad vult fieri. In illo est honestas quaedam et decus di-
 gnum homine ratione praedito, et conuenientiam rerum intelli-
 gente, cum etiam bestiae, sed sine intelligentia, naturae suae
 conuenienter agant: in hoc vno pietas et religio. Magistrum elo-
 quentiae laudamus, si frequenti et assidua exercitatione continet
 agitatque discipulorum ingenia, si propriis quibusdam institutis ven-
 tur, aptis ad efficiendum id, cuius causa quis eius disciplina
 vitur: et prudentiam interpretatur in parentibus, si quampluri-
 mis suis institutis et propria quadam ac domestica disciplina exci-
 tant in liberis ingenii vim, honestatis ac religionis sensum et
 amorem, admiramurque Lycurgum, aliosque Graecorum et Roma-
 norum legesatores, qui publica quadam disciplina, hoc est, ciui-
 libus officiis et institutis, idem efficere studuerunt. Deus igitur,
 si idem facit in re longe maxima, si voluntariis institutis et officiis
 exercet

exercet pietatem hominum, an reprehendi debet eo nomine, et rem alienam a sapientia sua facere dicitur? Nihil est, vere dicam, quod mihi magis stultum in istorum hominum opinione, magisque repugnans rationi videtur; cum ipsi nihil acutius putent, nulli argumento magis confidant.

8. Est porro ea natura primum verae pietatis, ut neque ita contineri possit animi finibus, quin venire gestiatur in lucem, gaudeatque conspici, hominum deinde ipsorum, ut proferre debeant in adspectum pietatem, vel exemplo aliis futuram, vel incitamento. Etenim ut quisque est amantior alterius, eo magis cupit facere quam plurima, quibus testetur amorem, angiturque animo, si aut nullam aut exiguam sibi eius rei facultatem datam videt. Itaque etiam in beneficii et gratiae loco numerat, si eius rei sibi occasio quam saepissime suppeditetur. Et quando in omni genere plurimum valent exempla, officiique humani est, quam plurimum prodesse aliis, ut in rebus ad vitam humanam pertinentibus, ita, atque multo adeo magis, in iis, quibus mentis animique perfectio continetur: quis non videt esse consentaneum, ut quam plurima sint constituta, quibus agendis pietas in Deum declarari et velut adspectabilis reddi possit. Etenim hoc genus natura ipsa parum definitur, sed totum prope arbitrarium est ac voluntarium: habentque actiones externae pietatis illius significationem, non necessario ac natura sua, sed interpretatione atque opinione: quae existere non potest, nisi ab lege aliqua atque instituto. Eam legem autem a quo fas est sanciri, nisi a Deo ipso, qui gravissime sapientissimeque potest, et ad naturam suam humanamque quam maxime accommodate? Videmus in hominibus, velut Regibus, colendis honorandisque quanta varietas sit et inconstantia, aliis apud alios honoris habendi generibus more receptis, in iisque quam multa sint parum graviter atque adeo inepte ridiculeque constituta. An vero idem in diuino cultu euenturum non putamus, si honoris Deo actionibus externis habendi modus hominum arbitrio permittatur? Immo vero, ut opinor, multo magis. Ego quidem etsi saepe risi in Officiorum aulicorum

formulis cognoscendis, quae apud gentem quamque vel more vel lege valere: tamen multo saepius rursus in legendis ritibus, quos gentium profanarum dementia in deastris suis colendis, sacrisque faciendis vsurpavit. Inter ipsos Christianos quam multa ridicule et inepte olim commenta sit superstitio, nemo ignorat. Huic igitur malo, in hac hominum natura prope necessario et inevitabili, occurri nulla alia re, nisi divina lege potest, quae doceat, quibus rebus occupari pietas debeat, coerceatque insitum illud hominibus inepta et ridicula in hoc genere comminiscendi studium, quo nullum clarius signum corruptelae naturalis scio. Quod si humani legislatores civitatumque conditores hoc ad curam suam retulerunt, ut Deorum externis actionibus colendorum formulas praescriberent civibus, ne incerta vagaretur religio, aut inepta et absorta comminisceretur vulgi stultitia, eoque nomine a prudentibus collaudati sunt, veluti *Romulus* et *Numa Pompilius* ab *Halicarnassio Dionysio* (*L. II. p. 90. f.*) et *Polybio* (*VI, 54.*): quomodo a divina sapientia abhorreere potest, ad hanc curam descendere, et pietatis exercendae quandam veluti disciplinam et formulam hominibus constituere? praesertim cum ea re sola consilii possit humani animi tranquillitati, efficique, ut cum fiducia quadam versari in exercenda pietate possit. Etenim etiam in honore hominibus habendo videmus, quam saepe aberret opinio honorem habentis ab iudicio eius, cui honos haberetur: quam saepe, quae ad honorem comparata ac suscepta erant, in alteram partem accipiantur, certe fastidiantur ac repudientur: unde sit, ut in aulis modus Principis colendi venerandique ab ipso definiatur, quo servando sciant omnes, gratos se domino futuros.

9. Atque ego non ignoro, longe in hoc discrepare rationem divinam ab humana: mentem magis animumque spectari a Deo, quam verborum actionumque formulas: neque tam quid quisque dicat faciatue colendi sui causa, quam quo consilio et animo. Sed tamen habet haec quoque ratio suum modum, eumque dupliciter. Nam primum, etsi dignum est benignitate et sapientia divina, animi maxime rationem habere, in iis rebus, quarum

rum

rum pretium omne est ab animo, cuius declarandi causa suscipiuntur: tamen eadem sapientia diuina, multoque magis maiestas desiderat, ut ipsae res, quae debeant esse expromendi illius animi, habeant aliquid dignitatis, et conuenientem quandam cum maiestati diuinae, tum ipsius officii sanctitati quasi ornatum ac decorum: idque adeo magis, quod ratio etiam in ceteris actionibus humanis tale quid flagitat. (*Cicero Off. I, 35.*) Artaxerxes quidem ille apud *Aelianum* (*V. H. I, 32.*) Mnemon, etsi pro magnitudine animi sui magis delectabatur paucula aqua, ab rustico domi loco data, quam ceterorum quamuis magnis muneribus, enixum pietatis significandae studium intuens: tamen minime credo, aequo laturum animo fuisse, si quis in se adeundo illud προσωνεον qmittere, et alio gestu uti, aut omnino genere aliquo non constituto legibus honorem habere voluisset. Omnino duo in hac re diligenter distinguere conuenit, *genus pietatis proferendae, et generis cuiusque modum.* Genus quidem ipsum debet esse idoneum proferendae exercendaeque pietati, et dignum eo, quem pietas amplectitur: in modo autem generis cuiusque praestandi, animi maxime integritatem conuenit spectari. In genere igitur ipso quaedam necessitas debet intelligi, siue a natura, siue a praecepto diuino orta; in modo autem eius aliquid liberi relinquitur, si animo constet pietas. Supplicare, ut hoc utar, Deo, gratias agere pro beneficiis, necessarium est: utrum meditato et disertò carmine nec ne, nihil refert; modo animus confidat potentia et bonitate Dei, sitque intimo benignitatis sensu percitus: nec necessarium est, si id palam fiat, quo tempore ac die, quoque loco fiat. Unde fit primum, ut, etiamsi Deus animos maxime hominum spectat, internamque pietatem, tamen homini genera honoris extrinsecus habendi non sint libera, sed ea potius sint sequenda, quae grata Deo constet fore. Deinde, etiamsi in modo generis cuiusque natura aliquid est liberum: tamen nullo modo repugnat sapientiae diuinae, ea lege definire, et ita vel dignitati suae, vel hominum sollicitudini et imbecillitati succurrere.

10. Iam porro non est, quod quis dicat, illud ipsum, quid sit dignum Deo, adsequi humanum ingenium posse, neque lege diuina opus esse. Nam primum id reuincit usus et experientia, ut ante dictum est, (§. 8.) et sapientissimi populi in eo fere se stultissimos praebuere. Aegyptiorum quidem sapientia, etiam sacris literis celebrata, religionem peperit resertam rebus insanissimis. Deinde si id vel maxime possit contingere paucis, longius in sapientia progressis, non tamen propterea non necessaria et utilissima erit lex diuina. Omnes leges civiles repudiemus et inutiles dicamus licet, si ista ratio valet. Quis enim dubitet, sua sponte homines intelligere posse, et in vnaquaque ciuitate esse, qui, quid publice sit utile et salutare, per se, nullaque lege humana edocti, videant? Non perexiguo sapientissimorum hominum numero, quid necessarium sit generi humano, aestimandum est, sed infinita ceterorum multitudine. Denique, videant aliquid sapientes, laborentque docere alios: nunquam tamen neque eam auctoritatem habebit paucorum istorum oratio, ut in ea acquiescant omnes, nec eam vim, ut omnem dubitationem eximat animis, satisne gratum sint Deo facturi. Est enim instum hoc animis, ut in honore habendo eius potius, cui habetur, quam habentis iudicium sit videndum, eaque inter se valde discrepare possint. Itaque nunquam animis satis certis et tranquillis pietatis externas illas partes obibunt, quo nihil miserius esse arbitror. Nullo modo igitur neque a sapientia, neque a benignitate diuina abhorret, occurrere huic dubitationi atque sollicitudini humanae, definiendo, fanciendo, quomodo et quibus rebus coli velit; in beneficioque adeo Dei maximo reponendum est, si certam colendi sui formulam hominibus praescribat.

11. Neque vero in eo fas est arbitrium diuinum ita adstringere ac coercere certis legibus, ut ei nihil in hoc genere liceat praescribere, nisi quod natura sua sit cum necessariis pietatis officii sua sponte coniunctum: quod volunt hi, qui nonnulla huius generis diuinitus tradita hominibus concedere quidem videntur, ceterum nihil discrepare, contendunt, a naturalibus officii, neque

arbi-

arbitrarie constituta, sed necessario sancita pugnant, atque ea ad religionem et legem naturae reuocare quouis modo laborant. Et enim ante vicimus, primum salutare esse priuatim ac publice, pietatem quamplurimis modis exerceri: deinde ea, quae per se vim exercendae, proferendae, augendaeque pietatis non habeant, hanc vim accipere posse constitutione aliqua: veluti verborum soni, cum sint indifferentes ad quamcunque rem significandam, more et consuetudine certae rei exprimendae accommodari possunt: constitutionem porro istam, consentaneum esse, proficisci a Deo ipso: quod is delectum talium rerum et optime facere possit, et cum maxima auctoritate: in beneficii denique loco esse numerandum, si Deus ita faciat. Quamobrem omnino liberum Deo iudicandum est, minimeque abhorrens ab eius perfectione, actionibus certis lege tribuere hanc vim, ut iis obeundis coli atque honorari possit, si nihil inest, quod maiestati ipsius aduerfetur: quod eum vel commissurum, vel committere posse, nefas est, vel suspicari.

12. Arbitror planum factum, quod propositum erat, intelligique, si religio vel maxime ad Deum solum referatur, nulla hominis ratio habeatur, tamen neque a iure diuino, neque ab sapientia et benignitate eius abhorriere superaddita necessariis arbitraria officia, eaque de causa haec quoque studiose diligenterque esse seruanda. Sed, ut ante diximus, religio non modo ad Dei cultum, sed etiam ad hominis felicitatem pertinet, debetque esse non modo digna maiestate diuina, verum etiam accommodata ad naturam humanam, ut colendo pariter apta sit et colenti. Quorum utrumque est eiusmodi, ut magna argumenta praebet, ex quibus intelligi possit, multa posse constitui diuinitus in religione praeter naturalia illa, quae saepe diximus, officia, quibus neglectis nullo modo felicitas teneri possit, in eoque Deum et iure suo, et sapienter facere, et maximo beneficio genus humanum afficere. Primum igitur fontem huius demonstrationis nostrae habemus *naturam felicitatis humanae, omninoque bonorum, homini vel expectandorum, vel sperandorum*: alterum autem huma-

nae naturae indolem atque conditionem. Ex his duabus rebus quomodo argumenta afferendi diuini in causa religionis arbitrii ducantur, age, videamus.

13. Iam, quod ad felicitatem et bona hominibus vel data vel destinata diuinitus, atque adeo expetenda, pertinet, hoc mihi primum velim concedi, vt, *si bona illa atque felicitas habeant hanc conditionem atque naturam, vt cum nullo genere actionum humanarum naturali ac necessario vinculo copulentur, sintque liberae benignitatis et quasi redundantis libera beneficia, vt igitur leges et conditiones eorum a Deo consequendorum, et officia fruuentium pariter arbitraria sint et libera eorum auctori, neque vlllo modo ex ipsa naturae diuinae humanaeque naturali cognitione intelligantur.* Ex quo consequetur, vt, si Deus naturalibus religionis officiis hoc tribuat, vt iis seruandis homines et satis grati pro talibus acceptis, et digni futuris habeantur, id totum non ipsis officiis, eorumque naturae, hoc est, naturali bonitati, sed liberae Dei benignitati debeat, quae remittere de iure suo, et necessario officiorum genere contenta esse velit. Concedi ista mihi, de Mathematicorum more, postulauit. Iure, vt opinor, meo. Sunt enim ita perspicua, vt, si quis rationibus subtiliter reddendis velit illustrare, ei magnopere verendum sit, ne fiat id, quod Cicero in Oratore dicit, vt illustrando fiant obscura. Nam et communes rerum notiones, et vsus vitae quotidianae, ita esse clamant, negantique vehementer repugnant. Quid enim repugnantius est, magisque absoum, quam, quae in promittendo atque largiendo libera sunt et arbitraria, ea non seruare libertatem in accipiendi conditione, neque liberum relinqui ei, a quo proficiantur, ad quos, quidque praestantes ea peruenire, et quid pro iis sibi praestari velit? Quam porro indignum est atque ingratum, liberalitatem, quae ipso nomine liberam se et sui iuris indicat, quam nemo iure postulare a quoquam potest, his legibus atque huic necessitati subiici, vt nihil, quamuis aequum et facile, audeat postulare ab iis, quibus se largam praebeat; sed cogatur esse contenta iis, quae sponte ac per se, nullo extraordinario beneficio neque promisso neque

neque dato, vel facturi erant; vel facere debebant? Dicat hoc filius parenti, frenam daturus, vel accepta iam frena. Quamuis indulgens pater, quamuis facilis, nihil alioqui praeter ordinaria pietatis in se signa postulans, tamen commouebitur, tamen vel omittet liberalitatem minuetue, vel eum dati doni poenitebit. Dixisset hoc aliquis Alexandro, Caesari, Tito, liberalissimis et maximi animi hominibus, beneficia aut reuocassent data, aut negassent promissa. Qui heredem scribunt, praesertim non suum, aut legitimum, aut in legatariis ponunt aliquem, hoc semper iure vsi sunt, ut iis liberum esset, conditionem, quam vellent, hereditatis cernendae, legatiue capiundi ponere, qua repudiata aut neglecta exciderent beneficio. Liberum est heredi legatorie dicere, conditione tua non vtor: conditione non stanti, beneficio testamenti vti, ius non est. Atque adeo non iniqui putantur, qui aliquid eum conditione vel largiuntur, vel pollicentur, ut contra iniqui et stulti iudicentur ab omnibus, qui beneficium sine proposita conditione, velut hereditatem sine factis, et spolia sine sudore ac sanguine, accipere velint. Non agonotheta iniustus est, qui palmam legitime vincenti ponat, sed qui non victor, ne certamine quidem inuito, palmam perat.

14. Neque vero est, quod quis dicat: humana ista esse, a Dei perfectione autem aliena: magnanimum esse, multoque magis diuinum, beneficia simpliciter et sine conditione dare. Etenim non quaeritur: an liberalitas sine conditione esse possit: sed an esse debeat. De iure quaestio est. Liberum cuique esse debet, quem modum liberalitatis suae velit esse: idque ex ipsis rerum notionibus intelligitur sensuque communi. Liberale est, beneficium dare sine conditione: at non minus liberale, cum conditionis adiunctione. Magnus et excellens animus in beneficii magnitudine cernitur, non in conditionis sublatione. Immo pusilli et ingrati est, accusare beneficii conditionem. Tum magnitudo animi est, in conditionibus non suum commodum ponere, in primis maius, quam dederis; non, omnem conditionem remouere. Atque etiam est, vbi conditione augetur beneficium, si est eiusmodi,

vt

vt in ea accipientis potius, quam tribuentis vtilitas spectata esse videatur. Duplex beneficium est, quod talem conditionem adiunctam habet. Atque tales esse conditiones, quas Deus beneficiis suis adscribit, alia huius disputationis parte demonstrabitur. Ex quibus omnibus fit, vt non ipsa *conditionis* adiunctio, *quae est dandi accipiendique lex et modus*, humanae aliquid labis habeat, sed conditionis vel vanitas vel stultitia: quae omnis, id quod in rota hac disputatione intelligi debet, patetque per se, longissime abest ab iis, quibus beneficia sua Deus adstringit. Sit igitur firmum hoc, persuasumque omnibus, quod conuelli nulla ratione potest, vt, si beneficia diuini, quibus vtimur, in primisque felicitas illa, quam a morte corporis speramus, non sint necessitate quadam naturali cum actionibus humanis, nominatimque cum naturalibus illis religionis officiis, tanquam effecta cum causis certis et necessariis, coniuncta, sed a libera benignitate Dei proficiscantur, ius sit Deo, legem conditionemque fruendi accipiendique, quam velit, facere, neque in eo quicquam intelligi posse, quod eius vel benignitati, vel sapientiae, vel maiestati aduersetur.

15. Hoc igitur fundamento posito, sequitur, vt bonorum diuinorum rationem atque naturam consideremus. Dico igitur primum, in omni humani generis statu atque conditione plurima ei vniuerso, aut parti eius, a Deo vel tributa vel promissa esse, quae haberent hanc naturam, vt nullo vinculo cum naturalis ac necessariae pietatis actionibus copulata intelligerentur: deinde, ea maxime esse eiusmodi, quae post hanc vitam sperare iubeamur. In priori genere duae sunt formae: quarum alteri subiecta sunt bona ea, quae quisque humani generis status propria habet; alteri autem communia vtrique. Vt ab his incipiamus, quoquo veritas oculos aut cogitationem, quam plurima occurrunt et maxima: nisi quis hanc animo imbiberit opinionem, vt omnia, quae sunt, coeca quadam fati necessitate extitisse opinetur: quod non magis, quia sine ratione est, brutum appellari conuenit, quam, quia brutis potius, quam hominibus, ratione praeditis, dignum est. Sed cum hoc hominum genere nulla nobis est disputatio; quippe quod
Deum

Deum religionemque omnem, si non verbis, at re omnino tollit. Ne autem nimis late vagetur disputatio, coerceatur sensuum corporeorum finibus: qui tamen et ipsi non ita sunt anguste positi, ut non satis amplus ei campus pateat, in quem possit excurrere. Primum igitur, cum ad alendum hoc corpus nostrum vitamque sustentandam necessarius esset victus ac potus, naturae corporis aptus; tamen neque illa tanta suauitas, quae potu ciboque, etiam tenuiori, fumendo percipitur, neque exquisiti et suauissimi cibi copia et varietas necessaria fuit. Tanta innata est hominibus vitae dulcedo, ut alimenta fumerent, etiamsi sola necessitate cogentur, nulla suauitate allicerentur: quippe aegrotantes videmus, propter vitae cupiditatem ac spem, medicamenta deuorare, non modo nulla suauitate commendata, sed etiam amaritudine inuisa. Tum, ut animalibus brutis aqua et paucae definitaeque herbae, aut radices ac semina sufficiunt: sic nostra quoque natura aquae panisque simplicitate ac tenuitate contenta esse et poterat, et futura erat, si eadem cum ceteris animantibus conditione uti nos Deus voluisset. Est igitur omnis illa et suauitas et copia non necessitati naturae humanae necessario concessa, sed diuina quadam indulgentia hominum deliciis libere donata. Atque simillima est ratio ceterorum sensuum, quorum suauitati benignitate diuina copiosissime prouisum videmus. Illud porro constat inter Philosophos, qui diligentius naturam rerum corporearum ac sensibilem, ipsorumque sensuum, indagauerunt, nullam esse necessitatem absolutam in sensibus: non, ut non necesse sit, sentire, ubi integris sentiendi instrumentis vis animi sentiens ad percipiendas res externas incumbat: sed ut non necessario ita adficiantur sensus animique rerum sensibilem impulsu, ut nunc quidem, in hac rerum constitutione, mouentur. Totam illam coniunctionem (*σύνεσις* vocant Graeci, relationem Philosophi nostri) quae sensus et corporeas res intercedit, ita, ut nunc est, constituit, non necessitati obediens intelligentia diuina, sed consulens hominum suauitati arbitrium diuini numinis. Nam, ut de oculis modo dicam, haec tam pulchra species, cum vniuersi mundi, quam vere *Cicero* infatigabilem vo-

quod

C

cat,

cat, tum rerum singularum in hac terra, quarum exquisitum ornatum ac decus in coloribus figurisque nec satis admirari, nec sine magna suavitate intueri possumus, nobis quidem aut periret magna parte, aut plane alia fieret, mutata leuiter vel oculorum structura vel cerebri, omninoque ea, quam ante dixi, rerum corporearum ad oculos relatione, et luminis in oculos actione: quod fuisse in potestate Dei, nemo ambigat. Igitur ea, quae nunc est instituta diuinitus, in magna indulgentiae, liberae parte numerari debet, volentis nobis hoc domicilium nostrum quam pulcherrimum atque suauissimum efficere. Sed haec et alia his similia, quae non inutiliter ad religionem et pietatem referuntur, qui est scientiae naturalis fructus pulcherrimus, fortasse nimis subtilia et philosophica sunt: ad ea, quae cum Theologia coniunctiora sunt, veniamus.

16. In prima igitur hominis recens creati conditione quam multa et magna fuere, quae nihil coniuncti haberent cum naturalibus hominis officiis? Nam primum immortalitas corporis ei data erat, (*Gen. II, 9. coll. III, 22.*) ut non modo animo, sed etiam corpore similitudinem immortalis parentis referret: quae si ab officiorum obseruatione et sanctitate nasceretur, nunc etiam posset homini vere Christiano contingere, ut Britannus quidam somniauit. Accessit imperium in bestias omnes, (*Gen. II, 26. 28.*) dissimile huic nostrae vel arti vel tyrannidi, quae in illius vitae nudae et inermis simplicitatem non cadebat. Domicilium autem, quod homini in amoenissimo et copioso fructuum omnium deliciis paradiso constitutum erat diuinitus, quam nihil habet simile necessitati alicui officiorum, omnia simillima beneficentiae libertati? Quicquid denique homo habuit boni in animo, cuius causa imagine Dei ornatus diceretur, id omnè ei destinatum ac donatum fuit ante, quam villo officio demereri Deum posset. Amissa sunt bona illa, violata lege diuina. Redacti homines ad conditionem tristem; animo cupiditatibus inquinato, corpore cum aliis incommodis, tum morbis et mortu obnoxio, tota denique vita referta laboribus, et calamitatibus atque molestiis proposita. In hac ipsa tamen conditione, non modo relicta sunt illa, de quibus ante dictum est (§. 15.) bona,

bona, communia omnibus, sed multa etiam promissa multis et tributa, in quibus facile apparet, nihil necessitati vlli officiorum, omnia liberalitatis diuinae arbitrio deberi: vt docet Paullus *Rom. IX, 11. 12. 13.* Quae primis hominibus, recenti delicto, (*Gen. III, 15.*) Noacho postea (*ibid. XI, 10. sqq.*) Abrahamo deinde et posteritati eius (*XII, 2. 3. 7. etc.*) promissa et data sunt, ea, quis non videt, nullo vinculo coniuncta esse cum vlllo officio? omnia esse libera et arbitraria in tribuendo? Quicquid denique Christiana religio pollicetur proprie, ex iis nihil est, in quo officiorum naturalium ac necessariorum aliqua vis et efficientia agnosci debeat.

17. In iis autem bonis, quorum spes facta est generi humano communiter promissione diuina, principatum tenet felicitas ea, quae post hanc vitam terrenam contingit. Eius spem primis statim hominibus, in principio vitae, cum integritatem adhuc retinerent, propositam a Deo fuisse, quis dubitet, qui eam redditam, integritate amissa, fateatur. Nam, qui promissa, v. c. Abrahamo posterisque eius bona rerum caducarum possessione cohibent, immortalitatis, illius beatae et scientia et spe exclusa, omninoque veteri testamento nihil, nisi mortalium bonorum spem relinquunt, ii profecto nimis humiliter de religione diuinitus tradita sentiunt, nec vim promissorum diuinorum vlllo modo adsequuntur. Paullus quidem (*Tit. I, 2.*) spem vitae aeternae cum ipsis rerum humanarum initiis adaequat. Eam enim Deum fallere nescium, ait, *ἐπαγγελίας θαι πρό χρόνων αἰώνιων*, promississe ante antiquissima tempora, i. e. initio rerum humanarum. Nam *ἐπηγγελῆσθαι* qui *destinavit* interpretantur, quod *χρόνος αἰώνιος* de ea, quae proprie dicitur in subtilitate disserendi, aeternitate accipiunt, non vident, nec *ἐπαγγελῆσθαι* sic dici, nec *τὸ ἀψευδές*, quod Deo *ἐπαγγελλομένῳ* tribuitur, de destinatione accipi posse, in qua non *τὸ ἀψευδές*, sed *τὸ ἀμεταμέλητον*, non *veracitas*, sed *constantia* intelligi potest. *Χρόνοι* autem *αἰώνιοι*, si non de infinita illa aeternitate capiuntur, quid aliud, quam initia rerum humanarum, longe antiquissima tempora significare possunt? de quibus capiebat *Aquinas*, *aeterna* interpretans *antiqua*: quod, miror, non cepisse *Erasmus* ad h. l. In quo

clarum est, Apostolum in animo habuisse promissiones, quas Adamo, Abrahamo Deus ipse, aliis deinde per prophetas fecerat, de vita aeterna per Christum speranda. *Rom. I, 2.* Illa ipsa autem vita quam sapienter per imagines adumbrata priscis mortalium fuit, primum Paradisi, in statu integritatis humanae, a quo post etiam nomen ei inter Iudaeos mansit: quod profecto non temere, aut inuento humano, sed interpretatione veteri diuina et prophetica factum: deinde, ab Abrahami temporibus, terrae Cananaeae, cuius nomen etiam nunc in beatorum coelestibus sedibus appellandis usurpamus, ducta consuetudine a veterrimis Ecclesiae temporibus, quae id ipsum ex incorrupta veteris Iudaicae Ecclesiae disciplina hausit. Nam etiam sic vel docebantur, vel admonebantur, *δαρον* esse beatam illam vitam, beneficium gratuitum, in quo sola benignitas diuina cerneretur, nulla veluti mercedis necessitas valeret, aut coniunctio quaedam naturalis ac necessaria cum officiorum conseruatione intelligeretur.

18. Sed de illa ipsa felicitate, quae et a morte corporis, et ab reuocato in vitam corpore speratur, etsi non ita nobis vel literis diuinis traditum est, vel perspectum ratione, vt, qualis ea futura sit, plane perfecteque sciamus: haec tamen eius natura nobis patefacta est, vt intelligi possit, eam non esse cum virtute naturali ita, vt effecta cum causis suis solent, copulatam. Rationem primum audiamus. Ea vero, etsi in animo seiuncto a corpore sensibusque corporeis, vix aliquid intelligit felicitatis, nisi quod a conscientia recte factorum, et scientia rerum bonarum, maxime diuinarum, ducatur: negat tamen ea contentum esse ad iustam felicitatem posse animum humanum, aut expleri aeternitatis immensitatem, aut cadere eam posse in mentes eorum, qui diem suum ante obierunt, quam, quod rectum esset, vel scire, vel facere possent, atque ita felicitatis istius praesidia comparare. Quae sunt planius edisserenda. Animi humani e corpore egressi vitam ratio, sua perpicientia nixa: et suarum conclusionum finibus se continens, non aliam intelligere potest, quam qualis est in mortali corpore, cum nullis sensuum et rerum externarum impulsione mouetur,

vt in magna tenebrarum obscuritate, et alto noctis silentio, cum nihil animo relinquitur, praeter memoriam rerum perceptarum, et conscientiam eorum, quae egimus, quae ipsa memoriae vis est, denique agitationem quandam mentis et cogitationum, quae suo modo tractet res sensu aut scientia ante comprehensas. E tali autem vita felicitas nasci sola haec potest, quae insit in quadam et tranquillitate et oblectatione, qualis esse in memoria et cogitatione rerum bonarum natura solet, sed quam illa ipsa ratio, vt dixi, non concedat, satis dignam esse altera illa vita, in qua natura longe maius quid, et plenius, atque, vt ita dicam, diuinius cogitamus, atque etiam requirimus: sicut miseriam improborum non solis naturalibus conscientiae poenis circumscribimus, sed aliis maioribus malis augemus. Nulla vnquam, quod ego quidem sciam, gens fuit, quin aliqua spe ac metu vitae alterius teneretur: siue ductam ab antiquissimis et incorruptis temporibus, et relictam a maioribus opinionem eam haberent, siue, id quod doctissimi homines existimauere, ipsa natura homines in hanc suspicionem atque opinionem deduceret. Enimvero nulla felicitatem alterius vitae tranquillitate illa et oblectatione cogitandi terminauit: omnes aliorum bonorum accessione cumulauere. In quo etsi suum quaeque ingenium moresque secuta, compleuit omnia opinionum temeritate et stultitia, vt sit necessario, cum, in rebus non necessariis et voluntariis cognoscendis ac definiendis, coniecturas sequimur: illud tamen boni existit ex illa ipsa opinionum varietate et vanitate, vt intelligatur id, quod volumus, felicitatem futurae vitae latius patere illo naturali ac necessario virtutis et sapientiae fructu, atque multa et magna arbitrariorum bonorum veluti auctaria habere.

19. Ac profecto, si in vita altera nihil ad felicitatem detur animo, praeter ea, quae diximus, naturaliter illa cum hac vita et officiorum naturalium conseruatione coniuncta, nullo modo plena, et perfecta, et aeternitati sufficiens felicitas intelligi potest. Ea enim possessionem fructumque bonorum desiderat eorum, quae non modo puram ab omni mortalitatis humanae labe voluptatem

praebant, sed etiam nunquam, per infinita secula, satietatem allas-
 turam, semper, ut ita dicam, novitatis gratiam conferuataram,
 semper crescentem, et noua quadam accessione se commendantem.
 Talis igitur esse potest felicitas animi humani, si nihil in
 altera vita inuenerit, quam quod ex hac attulerit? si contentus
 esse debet partem in priori vita bonis suis? Primum illi ipsi, qui
 virtutem et sapientiam, quamuis magnam, in nouam illam vitam de-
 rulerint, non similes erunt istis commentitiis Epicuri Diis, qui
 in intermundiis collocati, conscientia tranquillitatis suae et cogi-
 tatione hac se per omnem aeternitatem sustentant: *belle mihi est?*
 cuius, in eo sensu atque animo, celeriter satietas uenerit. Enim-
 uero, quid futurum est iis, qui honeste quidem vitam transege-
 runt, ceterum implicati vitae humanae negotiis, non potuerunt
 eam sapientiae copiam comparare, qua frui in altera vita possent.
 Quid iis, qui acerbo fato in principio vitae sancti, nihil eorum
 ex hac vita deportarunt, quibus fruendis oblectare se possent? An
 in altera vita nihil aliud, quam dormire, dicemus? quales eos fingit
 in limbo infantum Romanae Ecclesiae opinio. Incredibile
 dictu est, in quot difficultates se induant, qui hoc defendere au-
 deant, nihil esse in altera vita, quod non ab hac mortali, necessi-
 tate quadam naturali ducatur. Enimvero hoc defendant necesse
 est omnes, qui negare Deo hoc ius sustineant, ut possit in reli-
 gione aliquid praeter naturalia ac necessaria officia constituere, *10y*
20. Ac nos ita disputamus, ut nullam rationem habeamus
 corporis, suo tempore instaurandi. Quod etsi ratio humana igno-
 rat, tamen, si auctoritati diuinae, ut debet, concedens crediderit,
 ut quidam uolunt uideri ex iis, contra quos disputamus, statim
 videat necesse est, in illius nouae vitae felicitate esse debere bo-
 na, quae nullam necessariam copulationem habeant cum vita su-
 periore, et officis humanis, sed indulgentia diuina praeparata et
 destinata sunt immortalitati. Nam si felicitas coelestis cum cor-
 pore communicari debet, habeat oportet bona etiam eiusmodi,
 quorum suauitas per corpus ad animum perueniat, in quibus sua
 sponte intelligitur, libera Deo relinquitur omnia. Sed haec plenius
 et

et efficacius demonstrant literae divinae: quae primum clare docent, reditura in vitam corpora nostra, et in communionem felicitatis coelestis ventura; *1 Cor. XV.* quod totum beneficium est arbitrio et libera benignitate Dei constitutum: deinde, summam istius felicitatis inesse in adpectu maiestatis divinae, ea animum corpusque expleturo voluptate, quae purissima sit, et cum satietate quadam insatiabilis, semper recens, semper crescens: *Psal. XVI, ii. XVII, 15.* quorum altero David sibi in vitam reuocato pollicetur satietatem ab adpectu Dei; (*Eusebius ad Ps. XVII, 15.* interpretatur bene: *πληρωθήσομαι καὶ χορτασθήσομαι πάσης ἡδονῆς*; *Collect. PP. Montefalc. T. I. p. 59.*) in altero Messias docet fideles, ab adpectu Dei esse *עַבְשׁ נִרְצָה* satietatem gaudiorum, gaudium satians et penitus explens immensa humani animi desideria, et *נַצְרָה נִרְצָה* suauitates sine fine: Verissime. Quid enim illo suauitatis fonte limpidius, aut copiosius, et magis inexhaustum esse potest? Neque alia vlla res esse, aut cogitari potest, a qua talis felicitas, talis voluptas, sperari possit, praeter illum adpectum qualemcunque maiestatis divinae, quae sola purissima, sola efficiens aeternae et nunquam fastidientiae suauitatis in animis et corporibus humanis putari potest: qualis describitur a *S. Petro I, 1, 4.* qui coelestem illam felicitatem appellat *κληρονομίαν ἀφθάρτου, ἀβύσσου καὶ ἀκατάβυτον, hereditatem perpetuam, sine labe* mortalis et vitiosae humanitatis, et *viriditatis conseruantem.* Sed eandem hereditatem coelestem *Paulus* appellat *hereditatem Dei, Rom. VIII, 17.* Quae est autem hereditas Dei, nisi bonorum divinorum, quae Deus ipse possedit ab aeterno, quibus fruendis ipse *μόνος μακάριος*, solus beatus est; *1 Tim. VI, 15.* Bonorum porro quorum possessione *ἀγαθήνη* Deus, quorum fructu beatus dicitur, nisi maiestatis suae et perfectionum maximarum? Ad has igitur animo et corpore contuendas fruendasque aditus patefieri homini debuit, si illa, quam descripsimus, felicitas ei destinata ac promissa fuit. Quis autem negare aut dubitare audeat, hunc aditum dari beneficio diuino, non ob promeritum quoddam virtutis naturalis, officiorum-

fictiorumque necessariorum; quibus conseruandis Deo, quod debemus, reddimus, non hoc consequimur, vt se conspiciendum nobis praebere; vt se suaque bona nobis quodam modo possidenda ac fruenda ad infinitum tempus concedere cogatur. Libera haec sunt, et in voluntatis diuinae benignitate posita, neque vlllo modo cum officiis naturalibus cohaerent. Sed a natura felicitatis humanae, bonorumque homini vel sperandorum vel expetendorum, quomodo argumenta afferendi in religione constituenda arbitrii diuini ducantur, satis diximus.

21. Locus alter, vnde peterentur argumenta vindicando illi diuino arbitrio, erat in conditione naturae humanae: qui nunc aperiendus videtur. Eum autem multiplicem facit varia generis humani conditio. Nam alia hominum conditio fuit tum, cum integri essent ab omni culpae ac vitii labe: alia post contractam culpam, et susceptam naturae corruptionem. Variant etiam indolem hominum ac naturam res externae, nec sinunt eandem in omnibus vel hominibus vel gentibus esse. Ex his autem generibus omnibus existit id, quod defendimus, arbitrium diuinum religionis naturalis ac necessariae nouis decretis officiisque augendae. Nam, vt ab ea, quae nobis coniunctior est, conditione generis humani incipiamus, non veremur, ne quis magnopere nobis repugnet in eo, quod fundamenti loco ponimus: *si ea est hominum conditio atque natura, vt non possint religioni naturali ac necessariae, omninoque voluntati diuinae satisfacere, si velint; aut ita sint vel erroribus coecati, vel vitiis deprauati, vt ne possint quidem satis velle: Deus potest, misericordia commotus, aliam rationem sui placandi, et felicitatis eius, de qua diximus, consequendae praescribere, si nihil in ea insit, quod aeternae iustitiae et sapientiae suae legi repugnet, et, conseruata sapientia et sanctitate sua, praecipere, quae faciliora sint et accommodata eorum imbecillitati, quibusque adeo adducantur ad illius aeternae ac necessariae religionis obseruationem.* Quid enim est in his, quod non per illas ipsas necessarias notiones Dei perfectionumque diuinarum sumere liceat?

22. Neminem esse arbitror, qui quidem de Deo recte, et vel rationi atque naturae conuenienter sentiat, quin dignum Deo existimet esse, saluti ac felicitati hominum quouis modo consulere, qui nihil habeat inimicum ipsius iustitiae et sanctitati. De bonitate quidem diuina ita magnifice sentiunt homines natura, vt citius ab Deo expectent, quae conseruata sanctitate sua tribuere non potest, quam ei detrahant curam salutis humanae, tam necessariam hominibus, tam conuenientem generis humani auctori ac Parenti. Ego autem ita mihi persuasum habeo, vt credam, si, posteaquam homo in hanc tam miseram conditionem, quam paulo ante descripsimus, deuenisset, nulla alia salutis ratio reliqua futura erat, aut Deo non ius erat, nec licebat per naturae suae sanctitatem; ipsamque rerum naturam, aliam rationem ac viam salutis proponere, Deum, quem non potuit fugere, homines in id miseriae venturos, eos omnino creaturum non fuisse. Quid enim erat aliud, in talem conditionem homines creare, quam in certam et nullo modo effugiendam perniciem creare? Quod si ille apud Poetam, probante Socrate, optimum homini fore iudicat, omnino non nasci, ob miseriae huius vitae, quae tamen aut tolerabiles sunt, aut morte saltem finiuntur: quidni clementiam diuinam et iustitiam decuerit, non dare vitam iis, qui haud dubie omnes in infinitum tempus miserrimi essent futuri? Non igitur vilo modo dubitari potest, quin illa generis humani conditio hoc ferat, vt non modo non alienum a Deo, sed etiam dignum et gloriosum sit eius bonitati et sapientiae, primum in vniuersum nouam viam ad felicitatem hominibus patefacere; deinde talem, quae sit planior et expeditior humanae imbecillitati, nec minus denique conueniens sanctitati diuinae. Id quale sit, tertia disputationis parte docebitur. Nunc vnum hoc praelibare ex illa disputatione placet, accommodatam illam rationem humanae imbecillitati fore, si in ea redeant omnia in accipiendo ad beneficium, in agendo ad efficientiam et auxilium diuinum; consentaneam autem sanctitati diuinae futuram, si etiam ad illa ipsa naturalia et

necessaria officia adducat, eorumque obseruationem faciliorem et iucundiores reddat. Quis autem non talis rationis instituendae non modo ius et potestatem Deo concedat, sed, si oblata sit, summum et Deo dignissimum beneficium homini tributum fateatur?

23. Enimuero, hac conditione omnes homines natos esse, vt a se nec velint seruo, nec possint vere satisfacere pietati in Deum, officiisque ceteris necessariis et naturalibus, lege diuina sancitis, id quidem et suo quisque sensu discere potest, nisi sibi velit admodum assentari, et sapientissimi quique, hoc est, qui semetipsi optime cognitos haberent, iudicarunt. Sed clarissime demonstrat *Paullus* et vberime, nec naturalem, nec per *Mosen* traditam legem, quae est e naturali expressa, homines a vitii auocasse, et ad veram perfectamque virtutem adduxisse, *Rom. I, 18. sqq. II, 1. sqq. III, 9-20.* propterea, quod ita homines vitii et cupiditatibus sint natura sua addicti et obnoxii, vt ab iis sua, aut legis cuiuscunque vi abstrahi atque liberari, et legi diuinae, qua naturalia illa et necessaria officia sanciantur, obedire ac satisfacere non possint. *VII, 7. sqq. et VIII, 3.* In quo ille nullo argumento vtitur, quod non quiuis, etiam non agnoscens diuinitatem *Paullini* scripti, agnoscere ac concedere debere videatur. Sunt enim omnia ducta ab experientia et vsu omnium sine exceptione temporum, et sensu cuiusque interno; firmanturque consensu ac testimoniis hominum, quorum sapientiam et virtutem libenter ostentant, atque Christianae religioni opponunt ii, contra quos disputamus. Id quale sit, paucis, pro instituti ratione, dicere non alienum putamus.

24. Primum igitur, vt ante diximus, legem naturalem, ait, non cauere potuisse hominibus neque ab sententiis absurdissimis monstruosissimisque de natura diuina eiusque cultu, neque ab omni genere vitiorum, nefandisque facinoribus. (*I, 18. sqq.*)
Vnde

Vnde igitur hoc habet? Ex ipsa re scilicet. Quam foeda enim εἰδωλοατρεία et superstitio omnes, praeter Iudaicam, gentes oppressas tenuerit inde ab antiquissimis temporibus, maximeque temporibus *Paulli*, omnium temporum monumenta loquuntur, nec de eo vlla potest esse dubitatio. Nec minor morum et vitae corruptela fuit apud omnes gentes; quod et libri graeci latinique omnes loquuntur, et sapientes homines conquestos reperimus. Illa ipsa ciuitas, quae sapientissima semper iudicata est, (*Cicer. Rosc. Am.* 25.) Atheniensis, quam foedis vitiis tota obruta et corrupta fuerit, quam foedis libidinibus et flagitiis dedita, ipsi Athenienses scriptores, *Aristophanes* alique, loquuntur. *Socrates* quidem apud *Platonem*, in nobili librorum *de Rep.* loco, disputat, ita corruptas esse omnes, etiam cultissimas, gentes, vt humanis remediis fitti malum non possit. Videant plura studiosi in *H. Grotii* ad locum *Paulli* commentario. Iudaici Doctores illis temporibus, corrupta de fide doctrina, vt altera parte demonstrabimus, existimabant, omnem illam gentium corruptelam esse ab ignoratione legis diuinae per *Mosen* traditae, cuius scientiam habere hanc vim natura sua, vt sanctos redderet homines, et cupiditates vincere ratio posset: quod clare patet e multis *Philonis* Iudaei locis, et *Iosephi* (si tamen *Iosephi*) in *Maccabaeos* libello. Itaque et ipsos Iudaeos, *Paulus* docet, sub imperium vitiorum venisse (*III, 9.*) eaque corruptela morum et vitae, repudiata medicina per Christum et Apostolos oblata, ita indies creuit, vt *Iosephus* suis temporibus summam, et Iudaicae nationis hac etiam parte miserrimam conditionem fuisse fateatur. Iam, si omnium gentium in aliqua re consensus recte putatur esse vox naturae, h. e. eam in notitiis insitis numerandam esse, eiusque scientiam ab ipsa natura proficisci docet: intelligitur, vt opinor, pariter, istam tam perpetuam et vniuersam generis humani corruptionem ab ipsa natura originem duxisse. Nam, si quis nobis paucos quosdam virtutis magna gloria insignes opponat: primum multa seuerus virtutis iudex, et ad perfectam legis diuinae regulam exigens omnia, repe-

riat, quae in iis, et eorum virtute, iure requirat: deinde illos ipsos, si verum de se dicere voluissent, idem, quod *Paullum*, (Rom. VII.) de se confessuros fuisse credibile est. Socrates quidem, quem in illo numero primum omnes ponunt, cum multa vitia collegisset in eum Zopyrus physiognomon, essetque derisus a ceteris, qui illa in Socrate vitia non agnoscerent, Zopyrum subleuauit ipse, cum illa sibi innata fuisse fateretur, sed ratione a se deiecta diceret. (*Cic. Tusc. IV, 37.*) Quod si quis ex eo quaesuisset, an non ab iis etiamnum sollicitaretur interdum, non dubitem, eum hoc quoque confessurum fuisse. Ex quibus recte utique colligimus id, quod proposuimus, ut, quia tanta est generis humani, et natura et verò etiam consuetudine praua, corruptio, ut hominibus nec voluntas seria et constans recte faciendi suppetat, nec vis, ea, quae utcumque iudicio mentis lege diuina vel naturali vel scripta collustratae probauerint, sequendi integre et constanter ac perficiendi, ut, inquam, si sine alia noua ope nec salui esse, et ad felicitatem, si legi seruatae esset proposita, adspirare, nec ad veram sanctitatem peruenire possint.

25. Videant igitur etiam atque etiam, quid agant, et in quas se difficultates impediunt, qui negant, Deum posse alia ad felicitatem via homines adducere, quam quae per naturalem et necessariam religionem ducat, nec ullam Deo in religione libertatem arbitrii concedunt! Etenim, si Deus nec per naturam suam potuit talem salutis rationem, qualem ante diximus, instituire, nec instituit; et ipsi adempta est facultas hominum seruandorum, et hominibus spes salutis et felicitatis coelestis. Nam cum planum sit ex iis, quae diximus, legi naturali atque diuinae non satisfieri ab ullo homine, nec quemquam fuisse vnquam, qui hoc de se ausus sit, aut iure potuerit praedicare, nec per vitiosam eius naturam satisfieri posse; quomodo poterit aut Deus eos salua sanctitate sua ad felicitatem admittere, aut homo eam cum aliqua fiducia sperare? Quod si dicant, Deum, pro sua in homines lenitate

lenitate et indulgentia, contentum esse posse qualicumque virtute: primum hoc ipsum arbitrarium esse fateantur necesse est: deinde, in eo nihil esse praeter incertam coniecturam, qua, in re tanta, niti alienissimum atque stultissimum est. Etenim cum ex iis, quae supra (§. 18. f.) disputata sunt de felicitatis coelestis natura, appareat, etiam perfectam legis diuinae obseruationem, si sit consequendae illius felicitatis, eam vim habere, non per se, sed benigna voluntate diuina, ab ipso hominibus diferte declarata; quod, quae liberae voluntatis et benignitatis sunt, intelligi aliter non possunt: quanto magis id dicendum erit de qualicumque eius obseruatione? Vbi autem est ista voluntatis diuinae significatio? et vnde acceptum didicerunt, Deum illa tali inchoata et adumbrata virtute contentum fore, etiamsi nihil intercesserit, quo eius imperfectio velut expleatur? Tum illa qualiscunque pietas et virtus, quam est ambigua et parum definita! Nam illud profecto non audebunt dicere, omnem, quamuis paruam ac tenuem, et heri aut nudius tertius inchoatam virtutem hanc vim habere posse, vt ea Deus sibi satisfieri patiatur. Quomodo igitur definient illam qualemcunque virtutem, et quo certo argumento poterit hominibus esse persuasum, se ad eum virtutis gradum peruenisse, quo Deo satisfiat, quo ille contentus sit futurus? Ex quo angores animi et perturbationes horribiles consequantur necesse est in omnibus, qui immortales animos esse, et aliam post hanc vitam exspectandam didicerunt.

26. Sed prior illa et melior hominum fors et conditio, etsi nulla tali ope indigebat, tamen arbitrium diuinum in religione non modo non repudiabat, sed etiam idoneis de causis desiderabat. Etenim quomodo repudiaret id, quod non modo iustum et aequum esset, praesertim Deo postulante, cuius summus et verissimus tum amor erat, sed etiam vtilissimum sibi, h. e. ad alendam proferendamque pietatem accommodatum, vt supra demonstrauimus. (§§. 4. 5. sqq.) Etsi autem ea tum hominis

natura erat, ut ei nec voluntas nec facultas recte faciendi deesset, et haecenus carere poterat institutis, quibus imbecillitati humanae posthaec subueniendum, et inuectam in eius naturam corruptelam sanandam fuisse ostendimus: tamen ab aliis causis talium institutorum necessitas quaedam nasci potuit. Quod si nobis non liceret causas istas perspicere: tamen, idoneas fuisse, dubitandum nullo modo foret homini, de Deo eiusque sapientia recte sentienti, si constaret, ei conditioni aliquid praeceptum fuisse, quod naturalium ac necessariorum officiorum numero haberi non posset: constat autem omnibus, qui veritatem ac diuinitatem librorum Mosaicorum in dubitationem non vocant. Sed fortasse licet non nihil assequi, quod non absurde in causis istis numeretur: quale illud est, quod, cum homines primi iidem soli hanc terram obtinerent, nondum facultas dabatur eorum officiorum, quae postea multitudo generis humani et societas necessarium attulit. Igitur non modo consentaneum, sed prope necessarium erat, eorum locum interea obtinere alia, arbitrio diuino constituta. Id sic intelligi arbitror. In omni lege diuina, id quod supra monuimus, (§. 7.) veluti duplex est causa eius seruandae, et veluti duplex officium: quorum alterum ad naturam et conuenientiam rerum pertinet, nec habet proprie aliquam coniunctionem cum religione; unde existit iustitia et aequitas, quae homines ceteros amplectitur: alterum, idque maius ac nobilius, ad Deum refertur, et obedientiam aduersus eius praecepta, in quo pietas et religio cernitur. Vbi igitur illa prior causa legis locum non habet, per ipsam rerum temporisque conditionem atque naturam, haec tamen retinenda est: et, quoniam naturalia illa ac necessaria iustitiae officia nondum existere possunt, arbitrariis et voluntariis legibus obedientiae aduersus Deum officia sunt constituenda. Etenim assidua obedientiae in Deum exercendae occasione carere homines nec debent, nec possunt, propterea, quod nil magis est necessarium, quam homini hoc plane persuasum esse, ut Deo obediendum credat, huiusque obligationis et officii sensu

sensu moueatur animus, cum summa Dei reuerentia; nec sine tali sensu ac persuasione vera pietas esse potest. Enimvero, eam, quam ante descripsimus, rerum ac temporum rationem fuisse in principio rerum humanarum, facile omnes vident, cum propter paucitatem hominum nulla societas aut societatis iura et officia essent, et omnes prope hominis actiones externae in ipso verte-
rentur, nec iustitia, aut aequitas, aut benignitas intelligi possent.

27. Quamquam nobis non est opus illa disputatione necessitatis, nec quicquam cogit nos, tum demum agnoscere ac probare arbitrarium officiorum leges, cum aliqua talis perspicua necessitas subest. Omnino mihi videntur parum subtiliter accommodatasque ad naturam intelligentia et libertate praedictarum substantiarum disputare, qui in religione omnia ad necessitatem aliquam reuocant, nec quicquam probant, quod non a necessariis causis ducatur. Animalium eorum ista conditio est, in quibus nulla intelligendi vis, nulla libertas inest, vt, sicut ipsa necessitati cuidam in rebus omnibus subiecta sunt, quod ipsa se regere non possunt, sic in iis tuendis, alendis, tractandis fingendisque ad certam ac necessariam legem, ab ipsorum natura ductam, omnia referantur, vltra quam progredi non liceat. Eas angustias repudiant intelligentia et libertas, nec iis vlllo modo se quasi in ordinem cogi patiuntur. Ipsa natura et sensus communis reclamant tali necessitati, non solum propter Deum, cuius infinita est intelligentia, libertas autem maxima, eademque sanctissima, sed etiam propter hominem, ad quem istius intelligentiae et libertatis aliqua pars peruenit. Intelligentiae omnis, etiam humanae, nedum diuinae, haec vis est, vt non modo necessaria intelligat, eaque ratiocinando tractet, sed etiam multa vel videat, vel excogitet, cum magna generis humani vtilitate, atque sua laude, quae omnis talis necessitatis sunt expertia: cuius generis rebus plena est vita humana. Libertatis autem natura hoc fert, vt in agendo nulla necessitate cogatur, non modo haecenus, vt non
agar

agat inuita, sed etiam, ne in agendo ita constringatur, vt non possit ultra necessitatem progredi, et facere, instituere, quae nulla necessitas perspicua rerum postulet. Non vult cogi libertas, vt agat, cum non placet: sed nec impediri se sustinet, quominus agat, cum lubet, etsi nulla necessaria causa prouocata. Quid ergo? Summam illam Dei libertatem, eamque sanctissimam, et sapientissimam, et beneficentissimam, an fas putamus, ita angustiis finibus circumscribi, vt ei non liceat aliquid constituere, quod nulla naturalis rerum necessitas imperet sancire? nec ea re vel hominum commodis consulere, vel suae maiestati, suae laudi, suae gloriae? In rebus corporeis, et quae ad alendum hoc mortale corpusculum pertinent, Deo concedimus hoc iuris ac libertatis, vt possit hominem lautius et liberalius tractare brutis, et multis non necessariis bonis vitam exhilarare, vt supra ostendimus, (§. 15.) et ita se quouis modo conspicuum et amabilem reddere. Quae igitur ratio est, in animo quare non patiamur, Deum neque alia tradere de se cognoscenda, quam quae a necessitate rerum ac notionum ipsa doceantur, nec alia officia praescribere, quam quae natura ac necessitas videatur sanxisse, et sic alia quadam ratione mentibus humanis conspicuum se et verendum efficere? Non mihi hoc dignum Deo, non ipso homine dignum videtur, praesertim incorrupto, et hanc ob causam cupido, quam plurimis rebus et modis Deo obsequium praestare.

28. Etenim, etsi illi integro et a vitiis adhuc puro homini ea vis ingenii fuit, vt sua sponte posset ex ipsa rerum natura cognitionem Dei capere iustam: tamen, cum vis illa non esset infinita, sed et ipsa finibus suis circumscripta, non videtur sua sponte potuisse diuinam naturam ita perspicere, vt non multa relinquerentur, vel quae cuperet cognoscere, vel quibus cognitis mirifice laetaretur, et ad Deum admirandum amandumque incenderetur. Sicut in mente humana insunt permulta, quae nulla perspicua necessitate ex ipsius definitione colliguntur, quorumque

adeo

adeo rationem ex ea reddere non possumus: sic multo magis, etiamsi nesciremus literis diuinis edocti, tamen existimare deberemus, in infinita diuinitate inesse permulta et maxima, quae ex illa Dei notione, quam primam concipit mens humana, a quae cognoscendi Dei initium facit, intelligi per necessariam aliquam consecutionem, quamquam vniuersa rerum natura diligentissime comparata, nullo modo queant. Quis igitur audeat, hoc abhorrens, ac non potius conueniens et probabile iudicare, si Deum dicamus, multa de se tradidisse primis illis hominibus, et, si integritatem conseruassent, porro traditurum fuisse de natura consiliisque suis, quae suapte vi adsequi non possent, atque ita effecisse, vt iam tum non mera philosophia esset, quam tenerent homines, notitia Dei, sed, quod nunc est, Theologia de coelo delapsa, et hac ipsa origine sua carior et amabilior. Atque similissima est ratio officiorum. Si nulla necessitas arbitrariorum officiorum nascebatur ex hominum natura et conditione, quod tamen ipsum vix concedi potest per ea, quae ante dicta sunt (§. 25.) at vtilitas eorum ostendebatur permagna, (§. 7.) praesertim in illa vita tranquilla et otiosa, quae tota religioni et pietati exercendae vacaret: at Deo quacunque de causa placere poterat, necessariis officiis libera adiungere: at homini ipsi iucundum futurum erat, quam plurimis rebus Deo pietatem probare posse.

29. Non eandem esse gentium omnium indolem, eamque coelo ac regionibus terrarum, temporibusque vehementer variari, nemo rerum humanarum non rudis ignorat. Vnde fit, vt, sicut corpora humana aliis locis, temporibus, aetatibus denique, alium victum, sic animi aliam disciplinam desiderent. Itaque legislatores sapientissimi hoc spectarunt, vt ea sancirent atque instituerent in ciuitate quisque sua, quae essent ingenio gentis proprio accommodata, vtque propriis quibusdam institutis, solerter excogitatis, homines vel ad officium adducerent, vel in officio continerent: et vt quisque hoc facere potuit maxime, ita maxi-

E

me

me prudens legislator est existimatus. Quodsi in humanis legislatoribus hoc non modo conceditur, sed etiam expectatur ac postulatur, ut talibus institutis ac legibus consulant vel securitati vel utilitati communi: intelligitur, multo magis hoc dignum esse summo et communi generis humani legislatore, eiusque et sapientia et aduersus homines benignitate, ut in religione constituenda non modo communis naturae conditionisque humanae rationem ducat, sed etiam propriae, vel genti ei, quam vera religione tradenda beare, vel temporibus ac locis, in quibus constituere religionem velit. In praeceptoribus laudari solet et permagna et salutaris iuuentuti prudentia haberi, si, praeter communem omnibus disciplinam, adhibent quaedam peculiaria et sua instituta, hoc est, artificia, quibus vel celeritas felicitium ingeniorum coerceatur, et velut fatigeretur salubriter, ne in vanitatem quandam et inutilem leuitatem degeneret, aut tarditas tenuiorum incitetur, memoriae imbecillitas roboretur et angustiae dilatentur etc. Atque etiam hoc expectatur a bono magistro, ut se accommodet singulari, et aptis ad cuiusque ingenium atque naturam institutis utatur. Quanto magis diuinam sapientiam agnoscere fas erit, si hominibus, aliquo vitio ad religionem virtutemque pernicioso, vndecunque orto, debilitatis consulat institutis talibus, quae vel scientiam fidemque rerum diuinarum, quibus religio maxime continetur, adiuuent alantque, vel rerum agendarum expetendarumque admoneant efficaciter, et ad seruandum officium quacunque ratione adsuesfaciant. Morborum quaedam genera ita, v. c. victu, aëre, exacerbantur, ut ordinaria, et ante efficacia remedia suam aduersus eos vim amittant, coganturque medici noua et efficaciora circumspicere, et pluribus velut armis eorum pertinaciam oppugnare. Et sunt, in hac communi totius generis humani naturali deprauatione, errorum vitiorumque morbi haud pauci, qui mentes animosque hominum infestant: sed quidam apud quasdam gentes, et quibusdam temporibus, variis causis ita, primum late serpunt, deinde ingrauescunt,

vt vſitatis rationibus, argumentis, inſtitutisque ab iis liberari aut homines oppido pauci, aut nemo poſſe videatur. Vnde exiſtit ſane quaedam neceſſitas inducendarum rerum, quæ hanc vim habeant, vt ab iis vel abſtrahere homines impeditos, vel cauere integris poſſint. Alia his ſimilia incidere poſſunt in genere humano, quæ locum faciant nouis et arbitrariis in religione inſtitutis, iisque adeo non modo non improbandis aut contemnendis ſine iniuria in Deum, ſed etiam in documentis ſapientiae et in numero beneficiorum diuinorum reponendis.

30. Haec fere habuimus, quæ ad aſſerendum diuinum in religione conſtituenda arbitrium hoc tempore diſputaremus. In quibus hanc a nobis rationem habitam, diligens lector intelliget, vt non modo eos reſelleremus, qui vel omnino religionem diuinitus traditam in libris ſacris tollere cuperent, illo tali arbitrio a diuina perfectione remouendo, vel, cum agnoſcere diuinitatem librorum ſacrorum viderentur, tamen interpretando redocare pleraque ad naturalem religionem conarentur, quod Socinianos eorumque æmulos facere animaduerſum eſt, ſed vt eos etiam confirmaremus, qui recte de religione Chriſtiana ſentirent, et aduerſus illorum male ſanam ſapientiam muniremus. Etenim, vt noſtra fert opinio, quicquid viri docti aduerſus errores eorum, qui Chriſtianæ religionis veritatem atque diuinitatem oppugnare, multis eruditiffimis libris diſputauerunt, id non tam prodeſſe illi voluerunt, aut certe profuit ad illos ſanandos, qui plerumque non veritatis amore ac ſtudio, ſed cupiditatibus ſuis obſecuti, eam diſputationem ſuſceperunt, quam ad eos confirmandos, qui de veritate religionis Chriſtianæ minime dubitarent, cauendumque, ne iſtorum vel libris legendis, vel ſermonibus audiendis, corrumpereſſent, ſi, quod eorum rationibus opponerent, ipſi non haberent aut reperire poſſent. Itaque nos quoque idem et in hac diſputationis parte maxime ſecuti ſumus, et in reliquis duabus ſequemur.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and is mostly obscured by the paper's texture and discoloration.



Fc 1285

Vol 18

ULB Halle 3
004 966 066



Sb.

nr.







VINDICIAE
ARBITRII DIVINI

IN
RELIGIONE CONSTITVENDA

EX AVCTORITATE VENER. THEOL. ORDINIS
PRO LICENTIA
SYMMORVM IN THEOLOGIA HONORVM
CONSEQVENDORVM

A. D. XXII. SEPT. A. C. CIOCCCLVI

PROPOSITAE AC DEFENSAE

A

IO. AVGVSTO ERNESTI A. M.
ELOQVENTIAE PROF. ORD. SCHOLAE THOMANAE RECTORE
ET SOCIETATIS SCIENTIARVM GOTTING.
SODALE

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.